

# De finibus bonorum et malorum

Marcus Tullius Cicero

lorem ipsum, quia dolor sit, amet, consectetur,  
adipisci velit, sed quia non numquam eius modi  
tempora incidunt, ut labore et dolore magnam aliquam  
quaerat voluptatem. ut enim ad minima veniam, quis  
nostrum exercitationem ullam corporis suscipit  
laboriosam, nisi ut aliquid ex ea commodi  
consequatur? quis autem vel eum iure reprehenderit,  
qui in ea voluptate velit esse, quam nihil molestiae  
consequatur, vel illum, qui dolorem eum fugiat, quo  
voluptas nulla pariatur?

At vero eos et accusamus et iusto odio dignissimos  
ducimus, qui blanditiis praesentium voluptatum

deleniti atque corrupti, quos dolores et quas molestias excepturi sint, obcaecati cupiditate non provident, similique sunt in culpa, qui officia deserunt mollitia animi, id est laborum et dolorum fuga. et harum quidem rerum facilis est et expedita distinctio. nam libero tempore, cum soluta nobis est eligendi optio, cumque nihil impedit, quo minus id, quod maxime placeat, facere possimus, omnis voluptas assumenda est, omnis dolor repellendus. temporibus autem quibusdam et aut officiis debitis aut rerum necessitatibus saepe eveniet, ut et voluptates repudiandae sint et molestiae non recusandae. itaque earum rerum hic tenetur a

sapiente delectus, ut aut reiciendis voluptatibus maiores alias consequatur aut preferendis doloribus asperiores repellat.

Hanc ego cum teneam sententiam, quid est cur verear, ne ad eam non possim accommodare Torquatos nostros? quos tu paulo ante cum memoriter, tum etiam erga nos amice et benivole collegisti, nec me tamen laudandis maioribus meis corrupisti nec segniorem ad respondendum reddidisti. quorum facta quem ad modum, quaeso, interpretaris? sicine eos censes aut in armatum hostem impetum fecisse aut in liberos atque in sanguinem suum tam crudelis fuisse, nihil

ut de utilitatibus, nihil ut de commodis suis cogitarent? at id ne ferae quidem faciunt, ut ita ruant itaque turbent, ut earum motus et impetus quo pertineant non intellegamus, tu tam egregios viros censes tantas res gessisse sine causa?